

9298





M. CHRISTOPHORI
PREIBISII Sprotta-Silesii J. U. Li-
centiandi & Philosophiae Practicæ Pro-
fessoris publici

DISPUTATIO

alteram Ethicæ partem continens
publicè in celeberrima Academia Lipsi-
ensi an. 1614. 5. Februarij
proposita.

Respondente,

JOHANNE GEISLERO Francostei-
nensi Silesio opt. art. & Philosophiae
Bacalaureo.



L I P S I A,
Excudebant hæredes VALENTINI
Am Ende.

ANNO M DC XIV.



*EXCELLENTISSIMIS, CLARISSIMIS
ATQUE EXPERIENTISSIMIS VIRIS*

Dn. SIGISMUNDO SCHILLINGO Philosophia
& Medicinæ Doctori, in inclyta Lipsiensium Academia artis Medicæ Professori publico, Asclepiadæ celeberrimo, Collegiiq; Beatæ Virginis Collegæ dignissimo.

Dn. CHRISTOPHORO RÖSSLERO Philosoph. & Medi. Doctori, Illustriss. & Augustiss. Principis ac Domini Dn. JOANN-CHRISTIANI Ducis in Silesia Lignic. ac Bregensis Archiatro præstantissimo.

Dn. SAMUELISCHILLINGO } Philosoph. & Medic.

Dn. HENRICO SCHOLTZIO } Doctoribus
utrisq; in Francensteinensium Republica Practicis feli-
cissimis.

Nec non

*REVERENDIS, CLARISSIMIS, Pietate, Doctrina
ac virtute eminentissimis Viris*

Dn. M. SAMUELIS HEINNITZIO Ecclesiæ Fran-
costeinensis Pastori dignissimo, Philologo eximio.

Dn. ZACHARIAE VVESEMANNO Ecclesiæ
Austro-Magdeburgicæ Pastori fidelissimo.

Dn. M. MATTHIAE KHEIL Ecclesiæ Glacensis
Pastori vigilantissimo.

Dn. M. JOHANNI SCULTETO, Ecclesiæ, quæ
Reichenbachii est Synergo solertissimo.

Dn. Consanguineis, Adfini, Sympatriotæ, ac Prece-
ptoribus olim, universem Mecænatibus atq; Promotoribus meis plu-
rimum colendis & observandis, IESUM ac omnia cum felicissimo novi anni suc-
cessu animitus opto, hancq; publicam συζήτησιν in perpetuum honoris &
amoris, recordationis ac gratitudinis texum ēorū deore
dedico ac consecro,

Cm

¶ Cullm tuamente memor (ceufas) benefactare vol-
Queis me mactasti docta corona Virū, (vo,
¶ Munera protantis meritis ut digna rependam
Me pietas, animi simplicitasq; jubent.
¶ Sed quibus ornabo donis Vos? curta supellex
Cum mibi sit, nullæ me comitentur opes:
¶ Sumite primitias studiorum, quæfō, meorum
Protam munificis, innumerisq; bonis.
¶ Sunt viles, verūm mensest mibi cognita vestra
Quæ consecratis vix meliora petit.
¶ Invete interea æternū, æternumq; valete.
Vos juvet. & porrò commeminiſſe mei.

Excellētiar. & Venerand. Dignita-
tum Vest.

obſervantissimus

Johannes Geislerus Respondens.

A. 2. 1500. Joh. Geisler.



σὺν θεῷ
προθεωρία.

I.

N præticis, uti & effectricibus disciplinis, in rebus contingentibus occupatis, tria capita primaria semper sunt attendenda: tum finis principii rationem habens, tum subiectum, in quod finis est ingenerandus: tum deniq; media, quorum ope finis in subiectum introducitur.

II.

Capitum illorum hæc est distinctio: quod quædam dicantur principia τυπωτικῶς, quædam τρόπως: ex illorum numero sunt tum finis, tum subjecti cognitio: ad cætera referuntur ipsa media, finem propositum producentia.

III.

Et quia hoc tempore Ethicæ doctrinæ cognitionem & explicationem habemus præmanibus: illa tria capita primaria ibidem quoq; sunt accurato studio tractanda: cum illis ceu partibus totum ædificium Ethicum sit constructum.

IV.

Hactenus finem, qui ab omnibus, tam à vulgo, quam sapientibus, ἀδαιμονία, sive felicitas & beatitudo nuncupatur, consideravimus.

Diver

V.
Diversæ de eo sunt opinioneS: quæ tamen
ad quatuor classes , cum quatuor vitæ genera sint
præcipua, commodè referri possunt:

VI.
Adeò ut vel in opibus, nunquam propter se
expetendis, vel in honoribus, propter virtutis
opinionem spectatis vel virtutis habitu, quæ ad
actionem directa esse debet , vel idearum con-
templatione, quæ tamen non est πειρων αγαθον vel
voluptatibus, quæ, si sunt animi, felicitatis conse-
quens sunt, sive corporis, illæ haud sunt pro-
prium bonū, summum bonum collocari debeat.

VII.
Ergo relinquitur, summi boni naturam &
essentiam in animi rationalis operatione secun-
dum virtutem optimam & perfectissimam jure
merito esse ponendam. Fine ἀρχείας gratiâ
quam brevissime fieri potuit, declarato, subje-
ctum paulò altius considerandum, & quale hujus
thesauri preciosissimi statui debeat, accuratius
perpendendum.

Gewejan I.

Ipsum felicitatis subiectum esse cognoscen-
dum, deq; eo agendum, cuivis notum esse poterit.

II.

Ita enim, exempli gratia, quæ vis ars aliquam
subjecti cognitionem desiderat: an illud ad for-

A 3 mam

mam artificiosam recipiendam sit aptum : cum non ex quolibet ligno, juxta vulgatum dictum, fiat Mercurius.

III.

Sic in Ethica idem usū venit, ut sciāmus quodnam summi & ultimi boni, tanquam perfectissimi sit περὶ ὁδοῦ δεκάτη, sive subiectum : ne cūm sit summum, ignobili subjecto adscribatur, eoq; de præstantiâ & nobilitate suâ plurimum amittat.

IV.

In animæ itaque essentiam inquirendam esse monet Philosophus. Dicebatur namq; felicitas animæ operatio, ubi in ejus definitione alibi pluribus fuit ostensum.

V.

Sic medicus oculum vel aliam corporis partē curaturus, partis affectæ cognitionem expetit: cum non cuivis parti quævis convenient medicamenta.

VI.

Ita Ethicus, animi nostri medicus, ejusdem contemplationem exposcit.

VII.

Verum non accuratam & subtilem, sed qualēm instituti ratio admittit: quo tum felicitatis, tum virtutum natura planius perspiciatur.

VIII.

Accurata namq; animi cognitio vel ad Physicam, vel ad Metaphysicam pertinet: ubi de animæ facultatibus majori subtilitate agitur.

IX.

IX.

Animæ divisio fit in partes non propriæ di-
etas: cum magnitudo , sive corpus ita tantum-
modo dividi soleat , sed impropriæ ita appella-
tas.

X.

Una & eadem est anima , verum diversis fa-
cilitatibus & potentiis prædita : quæ ejusdem
partes perhibentur: Non aliter uti circulus est
unus & idem , cuius tamen partes dicuntur esse
diversæ: convexa & concava.

XI.

Animæ proinde partes duæ sunt principales,
quarum una è rationalis, altera irrationalis.

XII.

Illâ intelligimus, ratiocinamur, consultamus
& deliberamus: hâc vero vivimus, fentimûs, mo-
vemur & variis affectibus sumus subjecti.

XIII.

Illâ solius hominis propria ; hæc vel cum ipsis
plantis & stirpibus, vel cum cæteris animantibus
est communis. Irrationalis vicissim gemina est:
vel enim rationis tum per se, tum per participati-
onem est expers: vel rationalis est, rectam ratio-
nem audiendo, ejusque iusta exequendo.

XIV.

Illâ φυλλή sive vegetativa dicitur, cuius benefi-
cio

cio vivimus & nutrimur: hæc appetitiva nuncupatur.

XV.

Illa non potest ratione regi: cum ejus operatio communis sit etiam stirpibus & cæteris animalibus.

XVI.

Adde, quod ejus operationes maximè conspicuæ sunt in somno, reliquis cessantibus actionibus, propter quas homo vel felix, vel miser est censendus.

XVII.

Ita enim tum Physici, tum Medici statuunt concoctionem, quæ ad nutritionem, adeoq; ad vitam ipsam facit, in somno laudabiliter perfici & administrari.

XVIII.

Hinc vita hominis felicis à vita infelicis & miseri per dimidium prohibetur nil differre: dum dimidia vitæ pars somno, quo vires per operationes animales defatigatae & exhaustæ, recreantur & reparantur, ferè destinata esse, eoq; consumi solet.

XIX.

Nisi quis existimare velit differentiam inter virum probum & improbum aliquam constitui posse, quod illius insomnia sint suavia & jucunda, dum à speciebus probis ex laude dignis diurnis actioni-

actionibus viruosis reliquis proveniant: hujus ve-
rò somnus sit inquietus & turbulentus dum ina-
lefactorum per somnum memoria quasi viget.

XX.

Altera pars animæ irrationalis quamvis per se
ratione est destituta: rectam tamen rationem au-
b. dire, ejusq; sequi jussa potest.

XXI.

Θεραπεία illa appellatur in concupiscibilem &
irascibilem divisa: quod affectus five cupiditates
rectæ rationis imperio sint subjiciendæ.

XXII.

In hisce namq; regendis & gubernandis do-
ctrina Ethica maxima ex parte consumitur, ne
modum excedant, præcepta de moribus ob ocu-
los proponens.

XXIII.

Per se istæ animi facultas rationis erper est:
rationalis tamen per μέθεξιν dici potest.

XXIV.

Conspicuum est id in continente & inconti-
nente: ubi præter rectam rationem ad optima
adhortantem, alia conspicitur præter rationem
facultas eidem repugnans & adversans: ubi tan-
dem recta ratio vel vincit & superat, ubi in con-
tinente: vel ab appetitu superatur, uti inincon-
tinente, ubi affectuum vehementiæ ratio tan-
dem cedere cogitur.

B

XXV

XXV.

Nec aliter sese res habet, ac in membris paralyticis: quæ licet ab ægro in hanc moveantur partem, in alteram tamen pondere suo prolabuntur. Ita in incontinentे voluptates turpes esse fugiendas, recta dictitat ratio: appetitus vero sensitivus easdem, cum sint suaves, amplectendas suadet.

XXVI.

Nisi quod in hominibus paralyssi affectis membris in contrariam vergens partem oculis perspicimus: in incontinentे vero sensu id non percipimus: cum tamen contrarii in eo impetus necessariò sint statuendi.

XXVII.

Hanc itaq; animæ partem rationalem rationis participem esse comprobatur exemplo tum viri, continentis, ubi appetitus, quamvis invitus rectæ rationis dictamen sequitur: tum multo magis viri temperantis & fortis: ubi appetitui prorsus cum rectâ ratione optimè convenit: nec ulla lucta, pugna aut conflictus cernitur.

XXVIII.

Geminum itaq; est tum irrationale: tum rationale: illud vel prorsus non rectæ rationis est particeps: ut facultas vegetandi: vel quadam ex parte rationis est particeps: illam audiendo, eiq; obtemperando.

Sic

Sic patris rationem habere dicitur filius:
Et dum patri benè monenti obtemperat.

xxix.

Attestatur idem Legumlatorum institutum:
rectum præmia secundum virtutes viventibus: tum
q[uod] pœnas à virtutis tramite discedentibus, & non
ci rationem rectam, sed appetitum sequentibus de-
cernentium.

xxx.

Quod profecto inutile, imo stultum esset
futurum: si appetitus rectæ rationis imperio sub-
iungici non posset.

xxxI.

Sic rationale itidem geminum est: tum quod
ex se rationem habet: tum quod rationi ceu pa-
renti obsequitur, eiq[ue] morem gerit.

xxxII.

Ethaenius de animæ facultatibus sive poten-
tiis pro instituti ratione egimus: superest, ut
ostendamus ὡς ἐν τούτῳ, quamvis ex dictis antea
idem nullo ferè negocio colligi possit: quæ ejus
facultates propriè sint hujus loci & considera-
tionis.

xxxIII.

Geminam felicitatem dari Practicam &
Theoreticam nemini non potest esse evidens
& perspicuum: cum felicitatis definitio pri-
mo Ethicorum posita planè sit generalis: cum

B 2

com-

comparationem utriusq; speciei, hoc est theore-
ticæ & practicæ libro ultimo instituat: cum sub-
jectum geminum virtute informandum con-
stituat: cum deniq; geminas virtutes proponat
Philosophus.

XXXIV.

Ad Ethicam proinde tractationem pertinet
tum pars animæ irrationalis, appetitiva dicta
non per se rationalis, sed κατ' εθεξιν talis existens:
tum per se rationalis sive intellectiva, in οπίσημοις
κλίνεσθαι λογιστικῶν περιουσίων divisa.

XXXV.

Appetitum namq; virtutis moralis esse sub-
jectum tum ex antea dictis, tum ex sequentibus
ad oculum patebit rationibus.

XXXVI.

Vitium namq; morale appetitui inesse (non
enim inest intellectui) ab omnibus conceditur:
quid itaq; causæ, quod virtus moralis vitio oppo-
fita eidem haud insit?

XXXVII.

Virtutum semina, sive igniculos seu inclina-
tiones & propensiones ad virtutes appetitui ines-
se à Philosopho ostenditur? unde haud absurdè
colligitur ipsas virtutes ex illis productas eidem
inesser.

XXXVIII.

Adde quod affectus materia sunt virtutum,
in quos

in quos virtus tanquam forma recipitur: quod
penæ, quibus vitia moralia corriguntur, ad appre-
titum sensuum pertinent: ne alias rationes, qua-
rum plures ad hanc sententiam astriuendam affe-
runtur, in medium producamus.

XXXIX.

Non enim moveimur intellectui & voluntati
virtutem inesse debere: quod ~~negatur~~, qua virtus
definitur parti per se rationali tribuatur: cum
hic non de facultate directrice, sed receptrice sit
fermo.

XL.

Ipsum vero intellectum, sive animæ faculta-
tem per se rationalem virtutum intellectualium
esse subjectum, extra omnem est positum contro-
versiam. Atq; tantum de subjecto tum felicitatis
tum virtutis dictum esto.

Problema I.

An Ethices studium futuro Theologo sit utile?

Diversas de Philosophico studio esse opiniones,
nemini non potest esse obscurum: cum à non paucis
vel sacrosanctæ Theologie videatur æquiperari, dum
in sacris literis nil approbant, quod non ad amissim
rationis humanae fuerit conformatum: à nonnullis
ceu inane & inutile contemnatur. Idem de Ethico
studio nonnunquam fertur judicium: cum à quibus-
dam virtuosæ actiones tanti aestimentur precii, quæ

non ad civilem & humanam, sed aeternam & spiritualem etiam videantur facere felicitatem: à nonnullis vero cœn fucatae, nilq; veri & sinceri in se continentes despiciantur: qui in ore illud habent: humanam societatem ut plurimum regi opinionibus & ceremoniis. Nos medium ingrediendam esse viam censemus: cum Ethices studium futuro Theologo haud sit inutile futurum. Perspiciet namq; Sacrosancta Theologiae Candidatus, quid ex propriis viribus humanajam valeat natura: quæ sit lucta inter rationem & appetitum: quæ appetitus ad rationem debet esse conformatio: in primis cum Ethica doctrina alterius legis moralis tabulae expositionem uberiorē continere videatur. Nec movemur ab Ethicis illam fuisse inventam, eamq; ob causam in Christianorum scholis eidem locum haud relinquendum. Fuerit sane illa tradita ab Ethnicis: et illa tanquam divinum donum haud est rejicienda: cum propter personam secundum sacras literas Deo non placenter ipsum bonum tanquam accidens simpliciter haud sit rejiciendum. Verum de bac quæstione in scholis Theologicis uberiorius agitur: nos uno atq; altero verbo obiter notare duntaxat voluimus.

II. -

An scientia Politica sit omnium præstantissima?

Affirmatur id à Philosopho has ob causas quod ceteris artibus omnibus & disciplinis imperet, modumq;

modumq; prescribat, quatenus & quousq; singulae
in aliqua Republica sint ferendae & exercendae. Nil
namq; in Republica tradendum & docendum: quod
non à Reipublicæ præsidibus, scientiâ politicâ cultissi-
mis fuerit permisum & approbatum: quod ipsa
cæterarum artium operâ atq; ministerio utitur:
•cum omnium artium finis respicere debeat commu-
nem Reipublicæ utilitatem & emolumentum.
Hinc artifices, quorum artes & opere Reipublicæ
damnoſe censentur, ſedem fixam haud babent. Si
tamen aliquanto accuratius theoreticam felici-
tem attendimus: tum non tam viris sapientibus im-
perare, quam iisdem inſervire censetur, quo honestiſ-
ſimum in Republica locum obtineant: cum moralis
ſtudii finis debeat eſſe ultimus: quo appetitu ad re-
ctæ rationis judicium confirmato, potiſſima animæ
noſtræ pars in contemplando impedita versari poſſit.

III.

An fides juramento confirmata sit servanda?

Quandoquidem multi in ore habent illud: lin-
guâ juravi, mentem injuratam teneo: commode de
proposito problemate disceptatur. Si enim non fides
data servatur: Si non juramentum, quod per di-
vi-
ni numinis fit invocationem, attenditur: quod
quaſo ſocietatis humanae vinculum reperiri pote-
rit. Rectè namq; habet illud, quod dicitur: jura-
mentum, quod abſq; ullo diſpendio ſalutis ſervari
poſteſt,

potest, servandum esse. Quæ enim opum & facultatum poterit excogitari jactura tanta, quæ illud suadere videatur: cum animæ tranquillitas quibusvis opibus, licet innumeris, longè sit anteferenda. Occurrent quidam: Reipublicæ expedire, ne scelerama neant impunita: ne malefici improbitatis præmium consequantur. Verum equidem est, provinciam improbis hominibus purgandam esse, sed id magistrati incumbere debet officii, ne stationariis hinc inde dispositis improborum colluvies existere possit. Consulendum est tum patriæ saluti: tum hominis jurantis tranquillitati; illa nondum tam periclitari videtur, uti ejus, qui fidem juramento confirmavit. Adeo præstat vel potius omnium facultatum, imo corporis jacturam facere, quam fidem de re honestam & possibili juramento astrictam non servare illibatam.,

μένω τῷ θεῷ δέξαν.



Philosoph
698

